







[ ] LITTERAE Apostolicae quibus Institutio, Confirmatio et varia Privilegia continentur Societatis Iesu. Roma: Romae, in Collegio eiusdem Societatis, 1387. 4to. menor; 12 hs., 280 pp. Ejemplar con la firma autografa y restos de sello en lacre del Cardenal de la Curia Ovidio Erasmio, como Asistente de la Cámara Apostolica. El ejemplar lleva añadida la Bula de Gregorio XIV "Constitutio qua Societatis institutum & ratio gubernandi confirmantur", impresa en Roma, en 1591, que consta de 18 pp., 1 h., autorizada con las firmas autografadas de Juan de Zuazo, archidiacono de Olmedo, diócesis de Ávila, y de Juan Bermúdez, notario apostólico. Siguen en el ejemplar dos hojas, impresas en 1595, con el "Breve" de Clemente VIII prohibiendo a los religiosos de la Compañía el uso de la 'Bula de la Cruzada'. Va al fin el sello y firma del Secretario de la Compañía "Jacobus Dominicus". El conjunto de este ejemplar histórico lleva una autorización manuscrita, en la primera hoja blanca, dada en Medina a Luis de Roa, S.J. por el Preposito Provincial de Castilla el Padre Dávila.



IDP-0



DE INIITII  
S. D. N. GREGORII

PAPÆ XIII.

CONSTITVTIO

Qua Societatis institutum, & ratio  
gubernandi confirmantur; & ne  
quid contra hæc à quoquam  
tentetur, grauitè  
interdicitur.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei,  
Ad perpetuam rei memoriam.

**E**CCLESIÆ Catholice, cui  
Deo auctore, præsumus, de-  
cor, atque vtilitas postulat,  
vt cum in omnibus illius  
membris fouendis, atq; or-  
nandis assidue nobis laborandum sit: in  
illa tamen præcipuam vigilantie nostræ  
partem impendere debeamus, quæ nõ mo-  
do ipsa perse, robur, ac pulchritudinem  
corpori huic mystico afferunt; sed cete-  
ras etiã eiusdem partes vel disruptas con-  
solidare, vel integras custodire, vel fœda-  
tas eluere, atque etiam ornare valeant.  
Inter hæc autem quem locum obtineant

A Reli-



2 DE INSTITVTI

religiosi Ordines, praesertim vero qui proximorum vtilitati deseruiunt, non obscure perspiciamus; cum & superiora tempora, & praesentia diligenter attendimus. In his vero Religio Societatis Iesu, quam nouissimis hisce diebus diuina prouidentia excitauit, adeo strenue laborauit, ac sine intermissione laborat, vt illius vel turbationem, & infirmitatem, ad commune Ecclesiae dampnum; vel pacem atque integritatem, ad eiusdem vtilitatem, maxime pertinere putemus. Et quoniam neque tranquillitati, neque firmitati huiusmodi Ordinum prospectum esse poterit, nisi eorum instituta firmiter inconcussa seruentur, iisdemque modis feliciter progrediantur & crescant, quibus a Fundatoribus, Domino inspirante, atque hac sancta Sede approbante, primum fundati sunt; necessarium duximus, ea quae ab Ignatio, huius Ordinis Fundatore, ordinata, & a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus circa eiusdem Societatis Institutum sancita sunt, Apostolica firmitatis munimine denuo roborare. Quamuis enim praefata Societatis Institutum iam inde ab eius primordijs fuerit per se. re. Paulum III. & Iulium etiam III. Romanos Pontifices praedecessores nostros approbatum; & a se. re. Gregorio XIII. etiam praedecessore nostro,

Regulares Ordines eisdem modis crescere debent, quibus fundati sunt.

Summorum Pontificum instituta Societatis approbationes.

CONFIRMATIONE. 3

stro, primo per eius quaedam litteras sub Dat. Kal. Februar. Pontificatus eius anno vndecimo: deinde copiosius per Constitutionem, quae incipit, Ascendente Domino, confirmatum; Nihilominus tamen non iccirco demerunt, qui adhuc sub zeli, & boni specie, aliqua ex ijs, quae in dictis Pontificijs approbationibus, & confirmationibus continentur, & alia etiam, quae ad Institutum, & rationem gubernandi dicte Societatis pertinent, varijs modis impugnare: Quinetiam apud pis. mem. Sixtum papam V. Praedecessorem item nostrum oblati libellis, & varijs excogitatis modis traducere, & calumniari, atque vt ea quae consultissime sancita erant, infringere, conari veriti non fuerint. Instantes scilicet, vt res & negocia Societatis non per Superiores; vt haecenus iuxta illius Constitutiones, & Apostolica diplomata factum est, sed per Capitula, seu Congregationes, desiniantur: Vt electiones tam Prouincialium, quam Superiorum localium, non a Praeposito Generali iuxta huiusmodi Constitutiones ac diplomata, sed in Capitulis eisdem fiant: Vt Nouitij in Societatem, & ad vota Scholasticorum peracto biennio Nouitiatus, in Capitalis eisdem admittantur: Vt professioni certum ac praefixum tempus statuatur, quo

Impugnatio iurata & praesumptio.



Quædam in  
dubium voca-  
ta.

## DE INSTITVTI

exacto, per suffragia Congregationis Religiosi huiusmodi ad professionem admittantur: Ut qui iuxta Institutum ac formulam ipsam votorum, qua voverunt, sanctæque huius Sedis approbationem a Societate dimittuntur, non nisi ordinarij iudicij forma seruata dimittantur. Illa etiam in controuersiam & examen eodem tempore adducta fuere, nempe, Nomen ipsum Societatis Iesu, quod non esset ita deinceps vocanda: Religiosos non professos non debere ad sacros ordines promoueri: Huiusmodi Religiosos non esse prohibendos, quin ad alios Regulares Ordines transire: Similiter nec laicos, vt ad Sacerdotium, nec alios non professos, vt ad professionem, aut ad gradus mutationem aspirare possint: Facultatem præterea eos, qui professi non sunt, dimittendi, non probari. Quibus & huiusmodi alijs nouis impugnantium inuentis si aditus pateret, vniuersa Societatis structura labefactaretur, atque conuelleretur. Nos igitur huiusmodi impugnationibus diligenter consideratis, & perpenso circa reliqua, quæ in controuersiam, & examen deducta fuerant, nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium iudicio, qui ex mandato eiusdem Sixti prædecessoris, illa accurate discusserrant, & examinauerant:

## CONFIRMATIONE.

rant: Simul etiam perpendentes, primum quidem quod modus ille res & negocia per Capitula definiendi, optimum Societatis ordinem, ac vniuersam gubernandi rationem prorsus euerteret; Illam enim Ignatius Fundator quamuis Superiorum consilium, prudentiamque, ac rerum experientiam adiuuare, & promouere curaerit, adhibitis scilicet tam Generali Præposito, quam singulis alijs Superioribus tum Prouincialibus, tum localibus, suis, ex selectioribus, Consiliarijs, atque Admonitoribus; monarchicam tamen, & in definitionibus, vnius Superioris arbitrio contentam esse decreuit. Deinde quod ratio Capitularium electionum maxima ipsi Societati afferret incommoda; In qua, licet electiones quædam primariæ, cuiusmodi sunt Generalis Præpositi, ac illius Assistentium, & Admonitoris in generalibus Congregationibus, in Prouincialibus vero, tam eorum, qui Generalem Præpositum eligere, vel generali ipsi Congregationi cum iure suffragij interesse; quam Procuratorum etiam, qui e singulis prouincijs quolibet triennio in Urbem ad Procuratorum Congregationem mittuntur; & eiusmodi quædam aliæ electiones secreta scrutinia, & decisua suffragia fiati. In reliquis nihilominus proprij cuiusque

Ratio gubernandi in Societate.

Primariæ quædam electiones in Congregatione hant.

Graduum secretio ac offi



DE INSTITVTI

gradus iudicium, & officiorum discretio ac distributio iuxta, Constitutiones eadem, & Apostolica diplomata, ipsius Instituti confirmatoria predictorum Pauli III. ac Iulij etiam III. predecessorum nostrorum, tota est in ipsius Praepositi Generalis manu. Quam Praepositi Generalis, ac reliquorum illi subordinatorum Superiorum auctoritatem nonnulli impugnatores multis modis contrahere, ac eneruare tentarunt. Denique quod in ipsorum dimissionibus, qui iuxta formulam Votorum simplicium in Constitutionibus expressam voverunt, quosque in Societate retinere non expedit, nec contractus vitiose claudicat, nec vlla alia interueniat iniustitia. Considerantes insuper, quod in regularis disciplinae, ac spiritualis perfectionis non exiguum detrimentum, totiusque Ordinis perturbationem maximam, atque perniciem vergeret, si ea quae a fundatoribus sancte statuta sunt, atque ab vniuerso ipso Ordine sapienter in illius generalibus Congregationibus recepta, & approbata, & quod praecipuum est, ab hac Sancta Sede sancita & confirmata sunt, non solum mutari, sed quocumque praetextu impugnari ac labefactari contingat, Omni nobis studio curandum esse duximus, et in omnimodis nouitatibus, ac temerarijs impugnantium

In simplicibus Societatis votis nec contractus vitiose claudicat, nec iniustitia vlla intercedit.

gradus

pra-

CONFIRMATIONE.

praesumptionibus omnem aditum pracludere, ac Societatis indemnitati prospicere; vt hac ratione Societas ipsa nostro & Apostolicae Sedis praesidio munita, atque in sui Instituti puritate, & Regularis disciplinae integritate, quiete, ac pace conseruata, vberiores in dies fructus in agro Domini pergat, ipso Domino adiuuante, alacriter, & absque impedimento proferre. Motu igitur proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, laudabile ipsius Societatis Institutum, Constitutionesque omnes, ac statuta, & decreta, & quae illud concernunt praemissa omnia, & singula, praedictaque, ac quaecumque alia eius priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias & indulta a praedictis, seu etiam ab alijs predecessoribus nostris, etiam per communicationem, concessa, qualiacumque illa, ac si ad verbum praesentibus infererentur, pro expressis habentes, tenore praesentium approbamus & confirmamus; suppletes omnes iuris ac facti defectus, si qui interuenerunt in eisdem. Et nihilominus hac nostra perpetuo valitura Constitutione, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, statuimus, decernimus, & ordinamus, vt in Societatis praedictae Congregationibus quibuscumque eo prorsus modo

nona infirmi, Constitutionum, ac praemissorum omnium & privilegiorum Societatis confirmatio.

Nona infirmi, Constitutionum, ac praemissorum omnium & privilegiorum Societatis confirmatio.

In Congregationibus procedatur, iuxta distributiones & decreta.

In Congregationibus procedatur, iuxta distributiones & decreta.

A 4 proce-



procedatur, atque ea tantum tractentur & definiantur, quæ in Constitutionibus ac Congregationum generalium decretis statutum iam est, vel in posterum statuetur, vt in eisdem Congregationibus tractentur & definiantur. Electio vero Superiorum tam Prouincialium, & Visitatorum, quam quorumcunque localium tota sit penes Præpositum Generalem iuxta Constitutiones easdem; prout penes ipsum esse & conseruari districte præcipimus, cum potestate illorum facultatem reuocandi, restringendi, & etiam augendi, ac administrationis rationem ab illis exigendi, & eosdem ab officio remouendi, prout in Domino iudicauerit expedire. Nouitios etiam tam in eorum admissione ad Societatem, quam ad Scholasticorum vota post biennium Nouitiatu, iuxta Societatis morem, per Superiores admittendos esse: Graduum etiam discretio & iudicium, ac Coadiutorum tam spiritualium, quam temporalium, simulq; & Professorum promotio iuxta huiusmodi Constitutiones similiter sit in manu Præpositi Generalis. Tempus autem promotionis ad huiusmodi gradus, nullo modo volumus certum seu determinatum esse; sed Constitutiones ac diplomata prædicta hac etiã in parte omnino obseruari volumus & mandamus; quæ statuunt

Superiorum electio tota sit penes Præpositum.

Nouitii ad Societate & ad scholasticorum vota per Superiores sunt admittendi.

Graduum discretio, ac in Coadiutores formatos & Professores promotio sit in manu Præpositi.

Tempus promotionis ad huiusmodi gradus non sit determinatum.

statuunt selectos tantum spiritus, & doctrinæ viros, & multum diuque exercitatos, ac in varijs probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorum, cum omnium adificatione, & satisfactione, satis cognitos ad professionem esse admittendos; & denique non nisi cum Societati, vel eius Præposito Generali fuerit ab eis plene in Domino satisfactum. Omnis vero auctoritas, omnes denique facultates per dictæ Societatis Constitutiones & Apostolica diplomata Præposito Generali concessa, tam in ijs quæ ipse per se exercere debet, quam in communicatione Prouincialibus, & Visitatoribus, ac alijs quibuscunque Superioribus per ipsum facienda, integrè & inuiolate conseruentur; quoniam, vt ratio ipsa docet, & Ignatius fundator prudenter animaduertit, ad hoc vt Societas bene gubernetur, valde expedit, vt Præpositus Generalis omnem habeat in ea auctoritatem ad ædificationem, ex qua præter cetera quam plurima, illud sequetur commodi, vt vniuersus Ordo ad monarchicam gubernationem compositus maxime seruetur vnitus, ipsiusque membra per vniuersum orbem dispersa, per omnimodam hæc subordinationem suo capiti colligata, promptius atque facilius a summo capite Christi in terris Vicario, ad varias fun-

Qui nam sunt ad professionem admittendi.

Promoueri non debent, nisi cum Societati fuerit ab eis plene satisfactum. Omnis auctoritas omnesque facultates Præposito concessa, inuiolate conseruentur.

Graduum discretio, ac in Coadiutores formatos & Professores promotio sit in manu Præpositi.

Tempus promotionis ad huiusmodi gradus non sit determinatum.

Tempus promotionis ad huiusmodi gradus non sit determinatum.



ctiones iuxta eorum peculiarem vocatio-  
nem, ac speciale votum dirigi, atque moue-  
ri possint. Quod vero attinet ad dimis-  
sionem, Declaramus formam iudiciariam  
adhibendam non esse, sed modum in Con-  
stitutionibus præscriptum, & hætenus in  
ipsa Societate seruatum de cætero seruari  
uolumus, nempe vt etiam sine aliquo pro-  
cessu, tela, aut ordine iudiciario, ac nullis  
terminis etiam substantialibus, seruatis,  
sola facti veritate inspecta, culpæ vel ra-  
tionabilis causæ tantum ratione habita,  
ac personarum, aliarumque circumstan-  
tiarum, quarum consideratio sit cum ca-  
ritate & prudentia coniuncta, procedi pos-  
sit, auctoritate prædicta declaramus, & de-  
cernimus. Quinetiam omnes facultates,  
omnemque iurisdictionem, quod ad subdi-  
torum correctionem & punitionem perti-  
net, quibuscunque Ordinibus, eorumque  
Generalibus hætenus concessas, non ad  
instar, sed æque principaliter ipsi Societa-  
ti, eiusq; Præposito Generali concedimus  
& elargimur. Quo vero ad reliqua, quæ in  
controuersiam vocata erant; sic statui-  
mus. Nomen Societatis Iesu, quo lauda-  
bilis hic Ordo nascens, a Sede Apostolica  
nominatus est, & hætenus insignitus, per-  
petuis futuris temporibus in ea retinen-  
dum esse; ac Religiosos huiusmodi post

Formam iudiciariam in dimissionibus Serranli non esse.

Omnes facultates ad correctionem & punitionem aliis Ordinibus concessæ, Societati eiusque Præposito concedantur.

Nomen Societatis Iesu effectiuenum.

Societatis Religiosos emitt

emissa

emissa vota, etsi simplicia, ad sacros etiam  
præsbyteratus ordines iuxta Summorum  
Pontificum concessiones, promoueri pos-  
set eisdemque emissis huiusmodi votis, ad  
quemuis alium Ordinem Mendicantium,  
vel non Mendicantium ( Carthusiensium  
duntaxat excepto ) transire minime lice-  
re. Laicos vel alios non Sacerdotes ad Sa-  
cerdotium, vel eosdem aut qui Sacerdotes  
sunt, ad professionem, aut cuiusuis alti-  
rius gradus mutationem aspirare non de-  
bere. Potestatem quoque a Societate di-  
mittendi quosuis non professos, ab hac Se-  
de Apostolica sapius approbatam; eosque  
ab omni obligatione votorum iuxta Con-  
stitutiones, & diplomata huiusmodi emis-  
sorum, per dimissionem ipsam, per quam  
vota prædicta cessant, liberandi, tanquam  
rem magni momenti ad Societatis puri-  
tatem & conseruationem retinendam, om-  
nino ratam, intactam, & illibatam esse vo-  
lumus. Et vt perturbatorum & contradi-  
centium audacia coerceatur; ac ne ipsi,  
vel pernicioso eorum exemplo alij in pos-  
terum quæ ab hac Apostolica Sede semel  
stabilita sunt, præcipue circa Regularium  
Ordinum institutionem, & confirmatio-  
nem, in quibus alioquin ad eandem Se-  
dem tantum manus apponere spectat; im-  
pugnare aut eneruare impune præsumat,  
aut

us votis simplicibus, ad sacros ordines promoueri posse.

Ad nullum alium ordinem ( Carthusiensium excepto ) eis transire licet.

Ad sacerdotium, vel ad professionem, aut cuiusuis gradus mutationem aspirare non debent.

Potestatem dimittendi quosuis non professos, ab hac Sede Apostolica sapius approbatam; eosque ab omni obligatione votorum iuxta Constitutiones, & diplomata huiusmodi emissorum, per dimissionem ipsam, per quam vota prædicta cessant, liberandi, tanquam rem magni momenti ad Societatis puritatem & conseruationem retinendam, omnino ratam, intactam, & illibatam esse volumus.

Perniciosorum audaciam coercere.

Impugnare aut eneruare impune præsumat.

emissa

aut



aut vlllo modo valeant; Præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ vniuersis & singulis personis, tam secularibus, quam quorumvis Ordinum regularibus, cuiuscunq; status, gradus, & præminentia existant, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori ecclesiastica dignitate, seu Cardinalatus honore, vel mundana quauis auctoritate, seu excellentia præfulgeant: ipsis vero Regularibus, etiam dictæ Societatis Religiosis, sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & dignitates, vocisque tam actiua, quam passiuæ priuationis, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem Nobis ac Successoribus nostris dumtaxat reseruamus; ne dictæ Societatis institutum, Cõstitutiones, aut decreta, vel ex eis quippiam, aut ex præmissis omnibus articulum quemlibet, vel aliud quid supradicta concernens, maioris boni, aut zeli, seu quouis alio quæsito colore, aut prætextu directe, vel indirecte impugnare, vel immutari, alterari, aut formam aliam seu rationem circa ea induci curare, aut contra, vel præter ea, seu quauis alia ipsius instituti substantialia agere: vel quippiam vlli alij, præterquam Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, idque immediate

Regularibus vero etiam sub excommunicationis latæ sententiæ, in habilitatis, ac vocis actiua & passiuæ priuationis pœnis eo ipso incurrendis.

Ne Societatis institutum, cõstitutiones, aut decreta, vel ex eis aut illa concernentibus quippiam impugnent vel alterari curent.

Cham

Aut contra vel præter ea agant, vel quippiam vlli alij alterad præterquam Romano Pontifici idq;

mediate, vel per nostrum, aut Sedis Apostolicæ Legatum seu Nuncium, vel ipsius Societatis generali Congregationi, aut Præposito Generali, addendum, minuendum, aut immutandum, siue alterandum proponere quoquo modo audeant vel præsumant. Pœnas denique omnes in Gregorij XIII. prædecessoris prædicti Cõstitutione (Ascendente Domino) contentas, ac Cõstitutionem eandem, cum omnibus & singulis in ea contentis; ac si ea omnia ad verbum præsentibus infererentur, per præsentibus approbamus, & innouamus. Decernentes præmissa omnia & singula, nec non præsentibus, ac in eis contenta quæcunque nullo vnquam tempore, etiam ex eo, quod interesset forsan habentes ad id vocati non fuerint, vel alio quocunq; prætextu, & ex quauis causa quantumuis vrgenti, legitima, & rationabili de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, inuvalidari, retractari, annullari, reuocari, ad viam iuris reduci, in dubium, vel controuersiam reuocari, aut aduersus illa quodcunq; iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse vel debere; Nec sub quibusuis similibus vel dissimilibus gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus,

immediate vel per legatum, aut Societati vel Præposito proponant.

Innouantur per Cõstitutionem. se. re. Gre. XIII. omniaque in ea contenta confirmantur.

Præsentibus de subreptionis vitio notari non posse.

Nec sub quibusuis reuocationibus eorum prehendi.



nibus, aut alijs contrarijs dispositionibus comprehendi, sed ab illis semper excepta, & quoties emanabunt, toties in pristinum & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita, & plenarie redintegrata, ac de nouo etiam sub Dat. per Societatem illiusque Præpositum Generalem, & alios Superiores prædictos quocumque eligenda, de nouo concessa, ac etiam confirmata & approbata, validaque efficacia, & illibata, etiam absque eo quod desuper a dicta Sede illorum vltior restitutio, reuvalidatio, confirmatio, seu noua concessio impetranda sit, fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac easdem præsentis litteras ad probandum plene omnia & singula præmissa sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri. Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, in quauis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere: Nec non irritum & inane quicquid fecus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit

atten-

Sic indicari  
debere.

attentari: Mandantes vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac ceteris Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium Prælati per vniuersum orbem constitutis, vt præsentis litteras in suis quisque Ecclesijs prouincijs, ciuitatibus, diocesis, & iurisdictionibus ab omnibus inuiolate obseruari: Quin etiam Præpositum, ac personas Societatis huiusmodi defendant, eosque præmissis omnibus & singulis pacifice frui faciant & gaudere; non permittentes, ipsos per quoscumque quomodolibet molestari, contradicere per censuras ecclesiasticas, & alia iuris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus tam ipsius Sixti prædecessoris super modo, & forma admittendi nouitios ad religionem, quam alijs quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aut decretis per eundem, vel quoslibet alios prædecessores nostros, etiam viuæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet editis, ac etiam aliorum Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibuscumque: huiusmodi Ordinibus,

Mandator Ordinaris vt euent præsentis litteras ab omnibus obseruari.

Non obstantibus.



bus, Vniuersitatibus, locis, aut personis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certa sciëntia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusvis irritatorijs, annullatiuis, cassatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis etiam si in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma in illis expressis derogari possit, pro illorum sufficenti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret; tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus contrarijs quibuscunque: Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes

cientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Præsentis autem Constitutionis & gratiæ communicationem omnibus alijs, qui sua priuilegia cum ipsa Societate copiose participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterum volumus, vt præsentium transumptis etiam impressis manu Secretarij dictæ Societatis, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis eiusdem Societatis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio, & extra illud, quæ litteris ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, supplementationis, statuti, ordinationis, decretorum, concessionis, elargitionis, præcepti, reservationis, innouationis, mandati, declarationis, derogationis, prohibitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. D. X C I.

Præsentis concessio non cõmunicatur.

Transumptis habeatur fides.



18 DE INSTITVTI

Quarto Calendas Iulij, Pontificatus nostri anno primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexijs.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

*Dem Licentia Joannis de Tuato archidiaconi  
diocesis Asturienfis  
Joannis Bernarde  
noto applicato*

Anno a Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo nonagesimo primo; Indictione quarta; Die vero veneris vigesima octaua mensis Iunii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. Nostri, D. Gregorij Diuina prouidentia Papae XIIII. anno primo, retrospectae litterae Apostolicae affixae, lectae, & publicatae fuerunt. & per aliquod temporis spacium dimissae in Valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranensis, necnon Cancellaria Apostolica, & Aeciei Campi floriae per nos Laurentium

Cecchetum

Cecchetum, & Franciscum Baron Sanctissimi  
D. N. Papae Cursores.

Claudius Mongeat Magister Curforum.

R O M A E

In Collegio eiusdem Societatis. Anno Dñi

M. D. XCI.

Cum facultate Superiorum.



Clasificación de Francisco Javier de la Haza  
D. N. P. de C. de C.

Claudio Monteverdi Magister Cantorum.

R. O. M. E.  
In Collegio eiusdem Societatis, Anno D. N.  
M. D. XCI.

Com. Facultatis Superiorum.





